

24
 dum torquebatur Inscriptio, ut Sevirales evaderent. Verum secundis curis rem, puto, assequutus sum; quum enim dimidiata sit Inscriptio, & alterius ex duobus illis Seviris nomen, cum eâ lapidis parte perierit (ad explendum enim secundum versiculum, necesse est, alterius Sevirii nomen supponere) interpretari possumus, Q. Badusium [non Sadusium, ut male habet Gudius] Delphicum, & alterum, cujus nomen intercidit, Seviros Augustales, una cum aliis quatuor Seviris Augustalibus [sex enim erant] Valvas, & Signa Deorum Augustorum extruxisse, seu instaurasse, ac in eorum dedicatione epulum Populo divisisse. Idcirco vero duorum tantum Sevirorum nomina in marmore apposta fuisse arbitror, quia illi hanc exstructionem, seu instauracionem procuraverint; solebant enim duo tantum ex Seviris, quod Ordinis nomine faciendum erat, procurare, qui ideo CVRATORES ORDINIS dicuntur in Inscriptione Brixianâ apud Fabrett. Cap. V. n. 342.

DEDICATIONE EPVLYM. Epula primum dabantur ab Imperatoribus re feliciter gestâ, deinde ab iis, qui palmas ludorum retulissent, ut constat ex Athenæo lib. I. cap. I., ubi plura exempla erudite de more cumulat: demum vero in dedicationibus: *Dedicatio est publica ejus rei, quæ perfecta est, primo usu exhibitio*, quod cumulate probat doctissimus Mazochius laud. Commentar. Cap. 3., ubi de Epulis pariter fufe differit, quæ fere semper in dedicationibus data fuisse animadvertit. Hinc EPVLO DEDICARE apud Fabrett. Inscr. Dom. Cap. III. n. IV. est *dedicationis diem epulo celebrare*, ut ait Plinius lib. IV. Epist. I.

I X. X. X I.

Tres hæc Inscriptiones in Antiqui Ædificii ruinis reper-
 tas testatur MS. Collectio Inscriptionum Pisaurensium. Notavit jampridem Cl. Fabrettus Inscr. Domest. Cap. VI. pag. 487. miseram infimorum etiam hominum ambitionem, qui repetitis nominibus primum locum affectabant: duo, exemplis, quæ ille cumulavit, addo; unum ex his nostris: alterum, illustrius tamen, ex Prænestinis Inscriptionibus, quas, licet jam a Suaresio editas, is, qui ex lapidibus Prænesti descripsit, amicissimus, ac doctissimus Vir Pompejus Compagnonius, hic iterum vulgari operæ pretium fore duxit.

C. MA-